

Franz Albert Aepinus

Theses Philosophicae Selectae

Rostochii: Weplingius, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729694046>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1699

Q. D. B. V.
THESES PHI-
LOSOPHICÆ SE-
LECTÆ,

DEO ADJUVANTE,
CUM CONSENSU AMPLIS. FAC: PHILOSOPH:
BENEVOLO,
IN COLLEGIO DISPUTATORIO,
IN CELEBERRIMA ROSTOCH.ACADEMIA,
ANNO 1699
PROPOSITÆ

â
M. FRANC. ALB. ÆPINO
MECKLENBURGENSI



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

BERNHARDUS:
Hæc mea sublimior Philosophia,
nosse Christum, & hunc crucifixum,
Cui foli
& hæc, & reliqua nostra Studia,
in
NOMINIS SUI GLORIAM,
dicata sunt.

THESES DE PHILOSOPHIA
IN. GENERE,
Thes. I.



Philosophia in Theoreticam & Practicam tantum dividi potest, si Praxis vocabulum latè sumatur, & *πρᾶξις* unà includat. Quod si vero strictè sumantur vocabula, *πρᾶξις* & *ποιησις* differunt, & sic tria resultant Philosophiæ genera, Theoretica, quæ in nudâ objectorum contemplatione subsistit; Practica, quæ circâ objecta in universali cognita, in singulari, aliquid efficiendum præscribit; Effectiva, quæ præter objectorum contemplationem aliquid efficiendum præscribit.

2. Tantum abest ut futurus Theologiæ Cultor ac Verbi divini Minister à Philosophiæ studio abstinere debeat, ut potius maximæ ei dare operam, non tantum licitum, verum etiam necessarium sit. Sine hac siquidem nec terminos in Theologiâ occurrentes intelligere, nec veritatem coelestem defendere, nec *ὀρθοδοξίαν*, rectè & accuratè possumus. Locus Scripturæ S. quem adversa pars objicit, Colos. II. 8. de abusu saltem Philosophiæ loquitur, genuinum usum non tollit. Jubemur etiam nobis cavere, ne à mulieribus ac vini sva vitate decipiamur: an vero ideò ab omni mulierum viniqve usu abstinendum est?

3. Interea non nudè propter ipsam, hominem Christianum decet Philosophiam addiscere, sed ita, ut cum aliis Disciplinis conjuncta eò majorem vitæ humanæ ac doctrinæ præstare utilitatem possit.

4. Philosophiam à Gentiliis scriptis, falsis & inutilibus amputatis, addisci licere, ullâ ex ratione negari nequit. DEum enim esse, eumqve omnium rerum creatorem, omnipotentem, justum &c. Philosophi Gentiles ex sanâ ratione agnoverunt & docuerunt. An vero horum & similium demonstrationes naturaliter evidentes à Gentilibus petere nefas est? Est hoc nobis potius argumentum bonitatis atqve justitiæ divinæ

divinæ, legem naturæ cordibus Gentilium inscribentis, ut redderentur ἀναπλόγητοι. Quod obicitur, Gentiles à Diabolo sua habuisse, quoad falsa conceditur dogmata. Diabolus enim mendacii pater est. Quoad vera, sanæ rationi convenientia, negatur. DEUS enim solus veritatis fons est, à quo omnis veritas.

5. Quamquam Philosophi Gentiles varia divinæ revelationi contraria statuunt, non tamen Philosophia abstractivè & in se spectata Theologiæ contrariatur, nec falsum est in Theologia, quod verum in Philosophia. Verò enim verum consonat, & non nisi unica veritas est. Deus item luminis naturæ æque ac luminis Scripturæ Auctor & causal efficiens est, hinc impossibile, revelatione cum inclinare ad veritatem, ad falsitatem vero lumine rationis. Quæ in contrarium afferuntur exempla, tantum ostendunt, quod Philosophia negat, per naturæ vires fieri posse, Theologiam affirmare, posse fieri per omnipotentiam divinam supernaturaliter.

6. Philosophia superioribus, ut vocant, scientiis utilitatem præstat, non ancillatur. Qui ancillæ nomine eam traducunt, & ipsam Philosophiam, & ejus amatores magnâ contumeliâ afficiunt. Mater ea est, Theologiam si excipias, reliquarum Disciplinarum. Medicina, Naturalis, Jurisprudentia Civilis, Moralis Philosophiæ, Filiæ sunt. vid Plat. Ep. VII.

THESES LOGICÆ

I.

Logica verlatur quidem circatres mentis operationes, terminorum apprehensionem, enunciationum compositionem, ac Syllogismorum constructionem, non autem dirigit omnes tres mentis operationes. Prima enim, simplicium apprehensio, directione opus non habet. Nam dirigere mentis operationem est ejus errorem impedire, & errare h. l. est affirmare quod negandum, & negare quod affirmandum erat, quæ quid circa terminos non contingit, ubi nihil componitur, nihilque dividitur.

2. Uti Propria alia sunt aliquando saltem talia, ut: succum attra here Plantæ; alia respectivè tantum talia, ut: bipedem

dem esse avis, alia strictetalia, quæ vulgò propria quarti mo-
di vocant, ut risibilitas hominis; ita hæc posteriora propriè
loquendo tantum propriorum nomen merentur, reliqua ad
classe[m] accidentium rectius referuntur. Proprii enim hanc
naturam esse oportet, ut speciem ab aliis speciebus discernat.
3. Non obstat Propriorum natura, quo minus ea com-
municari possint, nec factâ communicatione, desinunt esse
propria. Alteri enim tum insunt per se, immediatè & subje-
ctivè; alteri per aliud, mediatè & communicative, uticolor
per se superficiem est proprium, est vero quoque proprium toti-
us corporis per superficiem.

4. Definitio Accidentis Porphyriana, Cap: V. insit:
Accidens est quod potest adesse & abesse sine rei subjecta interitu, de to-
tali destructione & essentia interitu intelligenda est, non de
quacunque melioratione aut deterioratione, quod sanitatis ac
morbi, Pulchritudinis ac deformitatis exemplo constat.

5. Onus probandi in Disputationibus aliquando in
Respondentem meritò devolvitur, si contrariæ sententiæ pro-
batio vel sit impossibilis vel difficilis admodum allatu. e.g. si Op-
ponens Respondentis thesios Theologicæ probationem in totâ
Scripturâ S., aut juridicæ in toto corpore juris existere neget,
Respondens aut probationem ipse afferat necesse est, aut Op-
ponenti concedat tempus totum corpus biblicum, aut juris, à
capite ad calcem usque perlegendi. Item si Opponens ad pri-
ma principia delapsus fuerit, Respondens vero ea negaverit,
utique, quia eorum demonstratio à priori impossibilis, ad
contrariæ sententiæ probationem tenebitur, nisi ad absurdum
se duci concedere velit. Non permutantur hoc pacto Dispu-
tantium vices, nec ulla inde confusio metuenda. Respondens
enim id operam dabit, ut in probatione cautè procedat, nec
plus concedat opponenti, quam ad quod jure tenetur.

6. Quamvis Disputationibus per Syllogismos faci-
litati ac perspicuitati magis litetur, non tamen omnimodè abro-
gandus videtur antiquorum mos, ut per quæstiones instituan-
tur. Hoc enim modo in omnes Hypotheses cognatasq; ma-
terias accuratius inquiritur, & majus inde ingenii acumen spe-
randum est.

A. 3

7. A par-

7. A particulari ad universale valet consequentia non tantum probabilis, sed et aliquando necessario vera, non quidem vi formæ, attamen ratione materiæ, ita ut terminis æquipollentibus assumtis etiam in forma Syllogismus legitimus evadere queat.

8. Subalterna, communiter dicta, oppositio vera oppositio non est. Est enim Oppositio, ex communi Logicorū sententia, pugna duarum propositionum, quarum altera affirmat, altera negat, ut ambæ simul veræ esse nequeant, qualis pugna inter universalem & particularem affirmantes non est. Si vero particulari exclusiva addatur, oppositio virtualiter contradictoria inde resultat, ut hæc propositio: *tantum quædam virtus est habitus electivus*, idem valet quod hæc: *Quæ virtus non est habitus electivus*, quæ universali affirmanti: *O. virtus est habitus electivus*, contradictoria est.

9. Datur, & obtentu omnino possibilis est scientia, quia veræ scientiæ requisita dantur. Et quis naturale illud sciendi desiderium humano generi frustra concessum asserere audeat? Non obstat, quod res sint caducæ. Hoc enim in singularibus tantum deprehenditur, universalia vero perpetuo perdurant. Neque sensuum fallacia scientiæ impedit obtentionem. Nam sensus non semper errorum causa est, imò nunquam, si debitis sit requisitis instructus.

10. Ad demonstrationem potissimam requiritur, ut ejus præmissæ 1. contineant causam conclusionis proximam, 2. sint necessario veræ, 3. immediatae aut ad immediatas revocabiles, 4. propriæ, & 5. notiores ac priores naturâ.

11. In Physicis tamen, Moralibus ac Rhetoricis non semper opus est in demonstrationibus præmissis necessario veris. Sunt enim objecta harum Disciplinarum materiæ immersa, variisque obnoxia circumstantiis à libera hominis voluntate dependentibus, quæ sæpissimè variant. Quare in his præmissis ut plurimum veris contentos nos esse oportet, ita tamen ut inde non inferendum sit, in iis non dari firmam cognitionem, seu scientiam.

12. Non vero ex falsis datur demonstratio, in quantum

tum istæ præmissæ etiam falsæ existimantur. Inter præmissas siquidem & conclusionem est nexus quidam necessarius, unde quales sunt præmissæ, talis etiam sit conclusio oppidò necesse est.

13. Substantiæ quidem non respuunt definitionem causalem, sola tamen ea ad earum naturam declarandum non sufficit, neque ut essentiali semper adjiciatur, necessarium est.

14. *Met. βασις ἐς ἀλλο γένος* licita est inscientis subordinatis & subalternatis, quid? quod nec *μεταβασις* vocari mereatur. Subordinatæ autem scientiæ dicuntur quarum finis unius tendit ad finem alterius. Subalternatæ sunt, quarum una considerat objectum aliquod in universali, altera vero in particulari.

THESES METAPHYSICÆ

1. Queritur: An Metaphysica moderna rectè definiatur per Sapientiam, nec ne?

2. Metaphysicæ objectum Formale adæquatum à plerisque dicitur esse, quod agit de ente quatenus ens est, quod vero minus sufficere videtur. Agit enim & ea de substantia, quatenus est substantia, de accidente, quatenus est accidens. Neque Aristoteles IV Metaph: II, ipsum unquam intendit. Rectius itaque dicitur objectum formale adæquatum Metaphysices esse, quod consideret ens in universali, & inferiora ejus, quatenus apta sunt prædicari, & de materialibus, & de immaterialibus rebus.

3. Ineptiunt Scholastici, dum disputant: An DEus etiam & Angeli entia rationis formare possint & forment? Entia rationis quippe DEI & Angelorum nihil sunt, nisi entia rationis Scholasticorum.

4. Existentiæ & essentiæ entis non differunt realiter, quia neutra sine altera esse potest, ut, sublatâ existentiâ à parte rei ab essentiâ, tollatur simul essentiâ ipsa. Differunt tamen ratione, & formaliter per definitiones diversas.

5. Quando Scholastici substantiam, seu, uti termino tantis viris magis convenienti utuntur, supposititalitatem definiunt,

niunt, quod sit, per quod suppositum sit suppositum, vide-
tur licere posthac, hunc in modum, omnia abstracta, inepte
fatis, per concretum definire: Pulchritudo est per quod pul-
chrum sit pulchrum. Eruditio est per quod eruditus sit erudi-
tus. Nobis itaque subsistentia est status substantiæ singularis
separatus, quo illa redditur completa, incommunicabilis, ac
aliunde ut sustentari opus haud habeat.

6. **Attributa entis ab ente non differunt realiter.**
Sunt enim convertibilia, nec unum sine altero esse potest. Ra-
tione tamen rectè ab invicem discernuntur.

7. **Eti Potentia obedientialis primario & maximam**
partem emineat in rebus creatis, relatis ad DEi potentiam;
non tamen omnipotentia obedientialis est supernaturalis.

8. **Causa sine qua non est, quæ quidem verè non**
producit effectum, causæ tamen efficienti præsto debet esse
in causandi actu, ita ut nequeat concipi actus causandi causæ
efficientis sine causâ sine qua non. Inde liquet, cur **Bona O-**
pera nostra causa sine qua non salutis æternæ dici nequeant.

9. **Regulæ: Causa causa est etiam causa causati, non hic**
sensus est: Causa ut intermedia causa existat, est etiam causa cau-
sati ab hac producti; sed iste: Causa, ut intermedia causa non
tantum existat, sed & causatum producat, est etiam causa cau-
sati per intermediam causam producti. Ex hoc itaque cano-
nem male infertur: DEum peccati causam esse.

10. **Causam moralem merentem Scholastici dupli-**
cem commenti sunt, alteram de condigno, alteram de con-
gruo. Verum posterior hæc meriti rationem propriè non ha-
bet, imò immeritò causa merens nuncupatur.

11. **Quemadmodum universale in esse talis univer-**
salis per hanc specie eandem materiam & formam constitui-
tur, ita singulare absolutè tale esse singularis per hanc nume-
ro materiam & formam recipit. Hoc idem ipsum est, quod
Scholastici terminis ipsâ elegantia elegantioribus ita cesserunt:
principium individuationis est hæcceitas.

12. **An contra negantem principia Metaphysica**
disputandum sit, necne? quæri potest.

THESES

THESES EX THEOLOGIA NATURALI SELECTÆ.

1. Theologia Naturalis est scientia pure practica & per modum scientiæ practicæ pertractari debet, quia considerat DEUM, non tantum absolute, sed & respectivè, ut summum hominis bonum, ad quod obtinendum allicitur hominis animus, ut quo plenius cognoscat DEUM intellectus, eò majori fruendi eo desiderio teneatur appetitus, cum è contra scientiæ theoreticæ in cognitione rerum nudâ acquiescant. Si modo inter propositiones formaliter & virtualiter practicas distingvatur, non poterit objici, quod plurimæ ejus conclusiones theoreticæ sint.

2. Objectum Formale Theologiæ Naturalis proximum est DEUS ex lumine naturæ cognitus, remotum verò æque ac principium cognoscendi est lumen naturæ. Hic vero luminis naturæ appellatione intelliguntur propositiones existentiam, essentiam & perfectiones essentielles DEI vel per discursum, vel citra, immediate ex lumine naturæ declarantes

3. Deus ex lumine naturæ cognoscibilis est, non tantum per notitiam acquisitam, vulgarem, per universi humani intuitum, & accuratiorem, per argumentationem firmam, sed et per notitiam insitam, habitualement illam perfectionem quæ aptum reddit intellectum hominis ad actualiter cognoscendum DEUM, quam primum terminos intellexerit, etiam citra discursum. Probat assertionem hanc testimonium conscientiæ de rectè factis, & cogitationum de male factis se invicem accusantium.

4. Dubitatio de existentia DEI à Cartesio approbata & commendata, quod & ad tempus eam haberi pro salâ utile fit, radix est multorum malorum & omnis impietatis, certissimam ad Atheismum viam sternens, & ad æternam damnationem perducere hominem dubitantem potest.

5. Triplex ista ad DEI cognitionem perveniendi via, quæ à Scholasticis assignari solet, utpote: via Negationis, quando imperfectiones, quæ in creaturis sunt, à DEO removemus & negamus; via Eminentia, quæ DEO post remotionem

B

tionem

tionem imperfectionum nostrarum tribuimus perfectiones eminentiores; via Causalitatis, quæ ex operationibus adscendimus ad ipsius causæ cognitionem; non æque efficax videtur. Duæ priores enim moralem saltem certitudinem gignere possunt. De posterioris quidem necessitate quidam dubitare volunt, sed videtur illa sufficere posse.

6. Athei directi, Speculativi, hæsitantes, qui negant e quidem dari Deum, sed cum formidine oppositi, nec per totam vitam in eâ sententia perseverant, dantur & dari possunt, quia notitia DEI, quæ non est ipsa essentia hominis ab eo ad tempus abesse potest & aliquando, permittente DEO, abest. Athei vero Theoretici obfirmati, qui ad totum vitæ spatium, sine ullâ oppositi formidine, infandam istam sententiam: non dari Deum, fovent, objustitiam divinam non dantur, imò dari non possunt.

7. Naturalismus Atheismi parens & ipso adhuc peior est. Et quæ cum Naturalistis nobis intercedunt Disputationes difficiliore sunt reliquis omnibus, quæ vel contra hæreticos, vel infideles institui possunt, siquidem sufficientiam ad consecutionem æternæ salutis Religioni in se verâ falso tribuunt.

8. Si conceptus DEI primus est prædicatum, ex quo reliqua, quæ de Deo dicuntur, deducuntur, ipsum vero aliunde non profluit, nullus datur conceptus DEI primus.

9. Deum, qui ubique est, nusquam esse rectè dicitur.

10. Definitio æternitatis Boethiana, quod sit: *interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*, totam æternitatis strictius acceptæ naturam exhaurit, neque ullâ ratione, nisi male sanâ, Socinianis, in æternitate Dei successionem prioris & posterioris statuentibus, favere censi potest.

11. Inscientia divina secundum se non est vel præteritum, vel futurum, sed tantum per denominationem extrinsecam temporum illi coexistentium. Et tametsi Deus in rebus videt successionem, & in ordine ad temporalem durationem videt nunc rem esse præteritam, & antea, fuisse futuram, ipse tamen semper eam intuetur eodem modo.

12. Præscientia Dei non infert rebus necessitatem. Deus enim præscit res, quia eventuræ sunt, res autem non eveniunt, quia Deus præscit.

13. Omnipotentia divina nihil indecedit, quod Deus non potest mentiri, esurire, dormire, facta reddere infecta, & contradictoria simul facere vera. Extenditur enim ea ad id quod ullatenus possibile est, & ex parte Dei operantis nullam imperfectionem importat.

14. Cum omnia attributa divina ex luminis naturæ principiis sint demonstrabilia, ita ut ex uno demonstrato reliqua omnia duci possint, cumque ea ab essentia divina realiter haud differant, nullum eorum poterit negari, salva manente essentia & existentia Dei.

15. Mysterium Trinitatis, in unâ essentiâ divinâ tres esse realiter distinctas personas, Theologia Naturalis quidem non negat, non tamen firmiter ipsum assequitur. Ex revelatione autem quando ipsum constat, rebus naturalibus variis illustrari potest.

16. Mundus neque æternus est à parte ante, neque ab æterno creari potuit. Nam omne ab æterno existens, aut saltem ab æterno existere valens, sive cum atque reale ens est, necessario erit Deus. Quod dicitur Dei illam æternitatem esse independentem, hanc vero mundi dependentem, & tautologias sapit, & contradictionem in adjecto involvit. Æternitas enim independentis quid aliud est, quam æternitas æterna? Et æternitas dependens idem est ac æternitas non-æterna.

17. An vero mundus à parte post æternus sit, i. e. finem agnoverit olim? Theologia Naturalis ignorat. Est enim res à liberâ Dei voluntate dependens.

18. Providentia divina circa minimas etiam & vilissimas creaturas ex lumine naturæ demonstrabilis est. Quia enim Deus exstantioribus & potioribus providet, hæ autem sine istis ægrè persistunt, curam earum habet Deus ut majores & digniores per eas persistere possint.

19. Angelorum existentia luminis naturæ principiis demon-

demonstrari non potest, suaderi autem potest rationibus probabilibus, ex effectibus, in obiectis potissimum conspiciendis, desumptis.

20. Pro quaestione : An resurrectio mortuorum rationibus naturaliter evidentibus demonstrari queat? in utramque contradictionis partem rationes suppetunt. Pro diversa autem vocabuli demonstrationis acceptione vel affirmative, vel negative responderi debere videtur.

21. Naturalistæ ad salutis æternæ consecutionem hoc sufficere articulos asserunt: 1. credere dari aliquod supremum Numen 2. Hoc Numen coli debere 3. Partes cultus divini præcipuas esse pietatem ac virtutem 4. Peccata quæcumque expiari oportere per penitentiam. 5. Ex justitiâ & bonitate divinâ vel premium vel penam. Et hæc & post hæc vitam dari. Quibus opponimus hanc antithesin: Media quæ Theologia Naturalis ad salutem æternam consequendam præscribit, pro præsentis hominum statu insufficientia sunt.

22. Theologia Naturalis ad supernaturalem manuducit per varias vias: vid: Plat: phædon.

THESES PHYSICÆ.

1. Physica equidem scientia est, quia ex principiis firmis demonstrat propositiones suas; non tamen omnium substantiarum naturalium, earundemque phænomenorum scientia datur, quia in quibusdam sensus & experientia, in quibusdam etiam vel Historia nos destituit.

2. Objectum Physicæ, sive corpus mobile, sive ens mobile, sive ens naturale, sive corpus naturale, sive substantiam naturalem, sive substantiam mundanam dicas, perinde est. Diversitas enim verborum ac phrasium rerum non tollit identitatem.

3. Principia cognoscendi Physicæ incomplexa sunt: sensus debitis requisitis instructus, experientia & docta ratiocinatio. Complexum est: Quicquid sensus debitis requisitis instructus, experientia & cum his conjuncta ratiocinatio dicit, illud verum est.

4. Atomæ Epicuræorum & Materia trium elementorum

Ca.

Cartesii, nihil aliud sunt, si res rectè consideratur, quàm materia prima Aristotelis, quàm uti obscurè, ita sufficienter describit, quod sit *neque quid, neque quantum, neque quale, neque aliud aliquid*, i. e. quæ nullius determinatæ speciei res est.

5. Malè Cartesius ejusque affectæ causas finales e Physica relegatas volunt. *Quasi, ut verbis utar Hamelii, agentia sic colorari, aut materia ita disponi posset, ut toti effectus, tamq̃ mirabiles emergerent, nisi vis aliqua suprema præset, qua & materia motus, & agentium efficaciam ad certos fines dirigeret.* Quinunc est corporis alicujus naturalis usus, procul dubio in mente Conditoris finis fuit & scopus, ad quem attingendum istorum corporum naturam, fabricam, motum ac similia tum direxit.

6. Iridem ante diluvium quoq; vilam fuisse, probabile est, quia causæ ipsius adfuerunt, sive veterum, sive recentiorum sententiam quis præferri velit. Potest etiam aliqua res, quæ antea jam exstitit, in signum alicui dari.

7. Iridis causa materialis non est nubes opaca, concava & instar speculi polita, sed qualibet nubes rorida potest esse, aut potius aer roridus. Priorem sententiam refellit, quod interdum colles, arbores, imò & prata agrique iridis coloribus imbuti, & cornua iridis aliquando ad montium valles usq; dimissa conspiciantur.

8. Spatium non est ipse DEUS, ceu vult Otto de Guerike Consul Magdeburg: in Experimentis de Spatio vacuo, L. II. c. 8. 9. DEUS enim est immensus, spatium extensum & partibile, unde non omnia attributa divina competunt spatio, Quæ autem ipsi competunt, competunt ut non enti

9. Systema Copernicanum & Scripturæ S. Textui contradicit, &, quod cum ratione ipsâ stare non potest, in se continet.

10. Virgulam Mercurialem naturaliter agere posse dubitandum non est. v. de Vallemont Traitè de la Baguette divine toire, & de eo Act. Erud. lipf. A. 94. m. jan. Quod non semper, aut in omnium manibus agat, inde est, quod non omnia corpora disposita sunt ad effluvia recipienda.

11. Quamvis sententia, quæ in lunâ dari homines aliquæ

aque animalia nostris in hac terrâ similia statuit, nonnullis probabilibus innixa videtur argumentis, ut neque affirmare neque negare eam audeant; fatendum tamen est maximas ipsam manere difficultates, si paulò penitius considerabitur. Argumentum ab omnipotentia divinâ desumptum, etiam pro opinione in quolibet astrorum & homines & animalia de gere, urgeri poterit.

12. Unicum tantum sensum esse, eundemque tactum defendi potest, reliquis ad eum revocatis,

13. Dæmones & succubos & incubos aliquando dari, experientia comprobavit. Ast ex tali concubitu prolem nasci posse asseri nequit, cū ne quid ex anime corpus inde potest produci.

14. Nævorum maternorum causa primaria est idea operatrix matris extra ordinem turbata, quam Spiritus ad foetum deferunt. Objecta enim movent sensus, sensus Spiritus, Spiritus humores, humores partes.

15. Facultates animæ rationalis sunt intellectus atque voluntas, quæ ratione tantum, non realiter differunt. Operationes enim earum diversæ non constituunt diversa entia.

16. Nulla substantia naturalis, quamvis vel minima, quæ physicæ est considerationis, nominari potest, quæ, si accurate in ejus naturam inquiratur, non loquatur existentiam Dei, Creatoris sui.

THESESEX PHILOSOPHIA MORALI EXCERPTÆ.

1. Juris Naturalis principium cognoscendi hæc est propositio: *Quicquid socialitati convenit, justum est. Et contra: Quicquid socialitati disconvenit, illud est injustum.*

2. Includit hoc ipsum reliqua quæ principia putantur: *Quicquid natura rationali convenit iustum est, & Quicquid convenit cum justitiâ divinâ, illud justum est, nec non, QVOI S. 3. in-stitit: de just: & jur: habetur: honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere.*

3. Dantur actiones naturâ suâ turpes, & honestæ, quoniam Deus non potest prohibere quasdam actiones, ut cultum sibi debitum, nec quasdam præcipere ut blasphemias,

4. In-

4. Intellectus imperat voluntati præscribendo; ut hæc nihil appetere possit, quod iste non appetendum, nec aver-
sari, quod averfandum non judicaverit. Voluntatis impe-
rio subest intellectus, ut id pro vero debeat habere & bono,
quod voluntati gratum est.

5. Lex in genere clarissimè describitur, quod sit ora-
ciò præcipiens aliquid, & obligans, vel ad obsequium, vel ad
pœnam.

6. Lex Dei æterna, quam vocant Scholastici, pro-
priè legis nomen ferre non potest, & idem est quod in ho-
minibus est jus naturæ, non aliter ab eo differens, quam man-
datum principis literis consignatum differt à judicio princi-
pis mandantis.

7. Lex naturæ propriè dictà brutis non potest inesse,
quoniam solis creaturis rationalibus lex dari potest. Quod
autem in ipsos legi naturæ analogum cadere videtur, nihil
est, nisi instinctus naturæ.

8. Homo ex ratione sibi relicta potest demonstrare,
Deum externo etiam cultu esse prosequendum.

9. Artem saltatoriam & gladiatoriam docere & discere
vi juris naturæ licitum est, quia facit ad ornatum & prom-
ptam habitudinem corporis, ad quas, ut perfectiones corporis,
quærenda homo obligatur, quantum quidem quæri poterunt.

10. Sicuti corpus non debet excoli, cum neglectu
animi; ita nec animus excolendus est, cum detrimento
corporis. Ubi vero vel animo vel corpori necessario damnum
sit inferendum, præstat negligere corpus.

11. Quatenus fama est medium actionum honestarum,
eatenus parari, & contra eam lædentes licitè defendi de-
bet. Qui enim finem vult, vult etiam media.

12. Uti, necessitate ita exigente, juramentum licitè
præstari potest, ob veritatem eliciendam; ita in causis levio-
ribus, in o & gravioribus, nullà urgente necessitate, ad id pro-
cedendum non est. Ne nomine Dei abuti videamur, &
quarumvis rerum testem advocare Sanctissimum Nun. en,
cujusq; pœnam deprecari, quam deprecari potius serio debemus.

13. Unam

13. Unâ mulierem pluribus cohabitare maritis juri naturæ repugnat manifestò. Unum maritum unâ uxore contentum esse, magis conducit socialitati, & longè decentius est, si vel maximè abstrahamus à primævâ matrimonii institutione, quàm si plures unâ ducat.

14. *Neg. incestum ullum, neg. ullum concubitus libidinosum, etiam ad bestialitatem qui pertinet, jure natura prohibiti demonstrari posse, frivole contra communem dissentum à Dn.D. Thomasio asseritur.*

15. Omnium vitiorum fons superbia est, quâ nihil reperitur perniciosius.

16. Ordo qui inter imperantes & parentes est, est forma Reipublicæ, essentiam ejus constituens.

17. Summa vitæ bonæ est, piè, modestè ac justè vivere.

CORONIDIS LOCO.

1. Quæritur: an homo sit generis Masculini? & an, stante hac Grammaticorum sententiâ, Fœmina possit homo vocari? Resp. N. Prius, A. posterius.

2. Quæritur: an homini juveni divitem sed deformem, an vero pulchram sed pauperem ducere magis conveniat?

3. Si quis Philosophicæ Facultatis gradum dignus adeptus est, alius vero indignus in aliâ aliquâ Facultate gradum amabit & obtinet, quæritur: uter horum præferendus sit? Responsio videtur dirigenda esse secundum desiderium illud: virtus nobilitat & egregios facit.

S. D. G.



Cartesii, nihil aliud sunt, si res recte confid-
teria prima Aristotelis, quam uti obscure,
scribit, quod sit *neque quid, neque quantum*
que aliud aliquid, i. e. quæ nullius determinata

5. Male Cartesius ejusque affecta causa
relegatas volunt. *Quasi*, ut verbis utar Ham-
ligari, aut materia ita disponi posset, ut iei effe-
les emergerent, nisi vis aliqua suprema praes-
morus, & agentium efficaciam ad certos fines dir-
est corporis alicujus naturalis usus, procul du-
ditoris finis fuit & scopus, ad quem attingen-
porum naturam, fabricam, motum ac sim-

6. Iridem ante diluvium quoque; v-
bile est, quia causæ ipsius adfuerunt, si ve-
centiorum sententiam quis præferri velit,
qua res, quæ antea jam existit, in signum


7. Iridis causa materialis non est nu-
va & instar speculi polita, sed qualibet n-
esse, aut potius aer roridus. Priorem senten-
interdum colles, arbores, imò & prata a-
ribus imbuti, & cornua iridis aliquando a-
usque dimissa conspiciantur.

8. Spatium non est ipse DEUS, ceu
ke Consul Magdeburg: in Experimentis de
c. 8. DEUS enim est immensus, spatium e-
le, unde non omnia attributa divina comp-
autem ipsi competunt, competunt ut non-

9. Systema Copernicanum & S-
contradicit, & quod cum ratione ipsa sta-
continet.

10. Virgulam Mercurialem naturalite-
randum non est. v. de Vallemont Traitè de
toire, & de eo Act. Erud. lips. A. 94. m. jar-
per, aut in omnium manibus agat, inde ef-
corpora disposita sunt ad effluvia recipiend-

11. Quamvis sententia, quæ in lura
B3



the scale towards document

ma-
de-
ne-
f.
yfica
colo
rabi-
teria
nunc
Con-
cor-
it.
oba-
e re-
n ali-
onca-
otest
quod
colo-
valles
ueri-
L. II.
rtibi-
Qvæ
extui
t, infe
dubi-
divina
sem-
omnia
es ali-
agve